Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Dissertatio Inavgvralis Medica De Stvpro Violento Et Cavsis, Cvr Hoc Svb Certis Modo Conditionibvs Fieri, Graviditas Vero Nvnqvam Exinde Oriri Possit

Fürbringer, Johann Gottfried Carl

Ienae, [1798?]

VD18 12167878

urn:nbn:de:gbv:45:1-8884

Visual Library

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

STVPRO VIOLENTO

ET

CAVSIS, CVR HOC SVB CERTIS MODO CONDITIONIBVS FIERI, GRAVIDITAS VERO NVNQVAM EXINDE ORIRI POSSIT.

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.

CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORVM ORDINE

PRO

GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS IVRIBVS AC PRIVILEGIIS RITE CAPESSENDIS

A. D. II. OCTOBRIS CIↃIↃCCXCVIII.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOAN. GODOFR. CAROLVS FÜRBRINGER

GERA - RVTHENVS.

IENAE

TYPIS ETZDORFII ET SOC.

Landesbibliothek Oldenburg

Ha
illato de
meum ar
missa, pr
tatem nu
Ac
id scilice
meo imm
mersis et
teriac huj
extendiss
elegantior

Landesbibliothek Oldenburg

VIRO

ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO

ATQVE EXPERIENTISSIMO

IOANNI CHRISTIANO STARK

HAEREDITARIO IN LEIDENTHAL ET SACHSENHAVSEN,

VTRIVSQVE MEDICINAE AC PHILOSOPHIAE DOCTORI, SERENISSIMI DVCIS SAXO - VINARIENSIS CONSILIARIO AVLICO ET ARCHIATRO ACTVALI, MEDICINAE PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO IN ACADEMIA IENENSI, INSTITVTI CLINICI DVCALIS DIRECTORI MERITSSIMO, SOCIETATIS LONDINENSIS ET PLVRIVM ALIARVM SODALI HONORARIO REL.

FAVTORI PATRONO AC PRAECEPTORI SVO

OMNI PIETATIS CVLTV AD CINERES VSQVE

PROSEQVENDO

Landesbibliothek Oldenburg

H
illato
meum
missa,
tatem n
A
id scili
meo im
mersis
teriae h
extendis
eleganti

Landesbibliothek Oldenburg

NEC NON

VIRO

PRAENOBILISSIMO CONSVLTISSIMO

AC DOCTISSIMO

IOAN. THEOPH. FVRBRINGER

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI ET REGIMINIS A RVTHENORVM COMITIBVS, A STIRPE IVNIORI IMPERANTIBVS, GERAE CONSTITVTI PATRONO CAVSARVM ORDINARIO

PATRI OPTIMO AC DILECTISSIMO

Landesbibliothek Oldenburg

HAS STVDIORVM PRIMITIAS

PIETATIS

GRATISSIMIQVE ANIMI TESTES

SACRAS ESSE VOLVIT

AVCTOR

IOAN. GODOFREDVS CAROLVS FVRBRINGER.

Landesbibliothek Oldenburg

PROOEMIVM.

Jamjam vetuſtiſſimis temporibus legislatoribus et judicibus varia medicorum decreta et dogmata ad lites quasdam bene dijudicandas et decidendas ſcitu neceſſaria fuiſſe viſa, probant varii loci in legibus Moſaicis*) de ſignis virginitatis et leprae ut morbi diſſimulati, et in Juſtiniani Inſtitutionibus de tempore partus recte definiendo ad ejus ſuppoſitionem praecavendam, aliique, potiſſimum vero demum Conſtitutione criminali Carolina anno 1532 promulgata decretum eſt, ut de vulnerum lethalitate, aborticidio, infanticidio, homicidio, graviditate celata etc. ad cauſas magis in luce collocandas, rectius dijudicandas et legitime decidendas, medicorum ſententiae in conſilium et auxilium ſint vocandae. Hinc campus medicinae novum accepit incrementum, hinc Medicina forenſis ſuam duxit originem, quae judici ſcitu neceſſarias rerum medicarum et phyſicarum ſuppeditat explicationes et ad juſtitiam in rebus controverſis accurate adminiſtrandam praebet principia. Utilitas Medicinae forenſis eo evidentius elucet, quo plures et frequentiores occurrunt caſus, in quibus ſententiam dicere eſt medicorum, et hinc factum eſt, ut haec ſcientia inde ab ejus origine a gravibus ſcriptoribus in ſyſtema redacta, in ſingulis partibus illuſtrata, et obſervationibus ſit locupletata. *Zacchias*, *Loew*, *de Haller*, *Brendel*, *Kannegieſser*, *Ludwig*, *Plenk*, *Schwabe*, *Müller*, *Sikora*,

*) Vid. Michaelis *Moſaiſches Recht*. II. Tom. p. 92. 138.

Landesbibliothek Oldenburg

kora, *Metzger* et alii, in ſuis operibus omnes fere Medicinae forenſis partes, ſingulas vero ejus partes *Bohn*, *Blegny*, *Devaux*, *Boehmer*, *Gmelin*, *Plenk*, *Hahnemann*, *Plouquet*, *Loder*, *Mayer*, *Schulz*, *Walter*, *Morgagni*, *Jaeger*, *Merker*, *Camper* et plures alii pertractarunt. Et ego etiam in materia ad Medicinam forenſem pertinente, quae agit de ſtupro violento, elaboranda periculum feci, materia, quam in autorum operibus partim plane omiſſam, partim non ſatis explicatam vidi, quamquam experientia quotidiana doceat, ſtuprum violentum in judiciis non raro praetextum eſſe, ad proſtitutionem, ex illicito concubinatu ortam, diminuendam et excuſandam. Quamdiu igitur ſtupri violenti et graviditatis exinde natae poſſibilitas a ICtis omnino conceditur, tamdiu quoque diſſertatio inutilis eſſe nequit, quae ejus impoſſibilitatem in plurimis caſibus demonſtrat, graviditatem vero exinde oriri poſſe, ex argumentis negat. Tantum vero abeſt, ut credam, hanc tractationem eſſe ita comparatam, ut nihil poſſit deſiderari, ut potius lubens concedam, me non ex omni parte lectoribus benevolis ſatisfeciſſe, eosque rogo, ut viribus juvenilibus in hoc ſcripto, quantum fieri licet, indulgere et errores, forſan commiſſos, benevole humaniterque condonare velint.

INTRO-

Landesbibliothek Oldenburg

INTRODVCTIO.

In doctrina de ſtupro violento bene ac rite pertractanda quatuor praecipue occurrunt momenta et quaeſtiones, in quarum indagatione et reſponſione noſtra jam verſabitur opera.

Eſt enim inquirendum,

1. *quid ſit ſtuprum violentum et quomodo dividatur?*
2. *an et quatenus ſit poſſibile?*
3. *quaenam ſint ſigna ſtupri violenti patrati et denique*
4. *num graviditas exinde poſſit oriri?*

His igitur praemiſſis rem aggrediamur ipſam.

Sectio I.

De ſtupri violenti notione et diviſione.

§. 1.

Conſummatio coitus eſt ipſa penis in vaginam muliebrem immiſſio et geniturae virilis in eam ejaculatio, iſta

Landesbibliothek Oldenburg

vero consummatio coitus, quae fit sine omni voluntate ac permissione foeminae, dicitur *stuprum violentum*.

Haec definitio, a celeb. FASELIO *a*) data, sola mihi vera esse videtur. Est enim suo definito nec latior nec angustior, etsi *stuprum violentum attentatum* non in illa comprehendatur, quod ICti a stupro violento distinguunt consummato, quam distinctionem omnes fere Medicinae forensis assumunt et memorant scriptores. Illud enim *crimen*, ubi quis feminam quandam vi quadam adhibita comprimere intendit, sed a consummatione coitus, vel ob foeminae resistentiam, vel ob aliam causam supervenientem impeditur *b*), dicitur *attentatum;* id vero *delictum*, quod supra est definitum, *consummatum*. Ex his vero luculenter apparet, prius crimen proprie stuprum dici non posse, quia stuprum non sine coitus consummatione potest cogitari. Etsi igitur talis stupri violenti attentatio ad rem nostram proprie non pertineat, tamen in hac etiam dissertatione considerari debet, ut causa morborum inde sequentium, a nimiis resistentiae contentionibus vel aliis violationibus derivandorum *c*), et quatenus ex signis violentiae illatae dijudicare est medici, an stuprum tale sit attentatum nec ne. Videatur ergo hac de re Sectio III. de signis, ex quibus et stupri violenti attentatio etc.

§. 2.

a) Element. med. forens. ed. Rickmann. P. I. Sect. II. Cap. IV. §. 218.

b) Idem. l. c.

c) Vid. *Metzger kurzgefasstes System der gerichtlichen Arzneywissenschaft. Abschn. VI. Cap. 1. §. 456.*

Landesbibliothek Oldenburg

§. 2.

Porro ſtatuunt ICti, tale ſtuprum, quod perſonae non honeſtae infertur, non pro violento habendum eſſe, et hanc ob cauſam fornicationem violentam a ſtupro diſtingunt violento. Ait enim Illuſtris DE QVISTORP: *d*)

Eine Nothzucht findet nur bey unverläumdeten Perſonen, oder doch wenigſtens bey ſolchen ſtatt, die zu der Zeit, da ihnen Gewalt angethan wurde, keine eigentlich berüchtigten Huren waren.

Libenter quidem concedimus, et aequitati et legibus eſſe conforme, quod poena ſtupri, meretrici violenter illati, mitigetur, noſtra vero non refert, an ſtuprata meretrix fuerit nec ne, eamque ob cauſam merito in definitione ſupra data omiſſa fuit haec diſtinctio. Nam meretrix quoque, ex odio adverſus aliquem capto, reſiſtere et ſtuprum ſine omni ejus voluntate ac permiſſione cum illa poteſt conſummari.

Dicit denique Illuſtris DE QVISTORP notionem de ſtupro violento tradens *e*), eſſe neceſſe ut femina non modo contra ſuam voluntatem, ſed etiam *vi aliqua adhibita externa*, cui non reſiſtere, quam non vitare poſſit, ad coeundum cogatur. Haec vero definitio eſt ſuo anguſtior definito. Datur enim ſtuprum violentum, ſenſu quidem

 latio-

d) *Grundſätze des deutſchen peinlichen Rechts* 1796. *Th. I.* §. 487.

e) l. c. §. 486.

Landesbibliothek Oldenburg

latiori, quod ſine omni vi externa adhibita, et ſine omni foeminae voluntate ac permiſſione committitur, id ſcilicet, quo alte dormiens vel valde ebria vitiatur. Omnino quidem ipſa ſtupri violenti denominatio vis ideam illatae involvit, ſed ad hoc magis in recte dividendo quam in deſiniendo ſtupro violento eſt reſpiciendum. Eſt enim ſtuprum violentum

vel ſtuprum violentum ſtricte ſic dictum, quod committitur vi aliqua adhibita externa. Hoc ſtuprum inferri poteſt

a) puellis ſeu impuberibus,

b) adultis ſeu puberibus,

vel ab uno mare

vel a pluribus.

vel ſtuprum violentum late ſic dictum, quo, nulla vi externa adhibita, affici poteſt

a) alto naturali vero ſomno ſepulta,

b) vel valde ebria, vel opio vel aliis narcoticis obſtupefacta.

Qua ſub diviſione omnes comprehenduntur caſus ſtupri violenti conſummati, de quibus in ſectionibus ſequentibus plura dicemus.

§. 3.

Landesbibliothek Oldenburg

§. 3.

Restat, ut de nostrae simili Excellentissimi SCHWABE *f)* mentionem faciamus divisione, qui stuprum violentum quoque in stricte dictum, et non stricte dictum dividit, hisce usus verbis:

> *Ein* stuprum stricte dictum *nenne ich ein solches, wenn eine Weibsperson mit beharrlichen Widerwillen durch Gewalt genothzüchtiget wird;* non stricte dictum, *wenn zwar eine Weibsperson anfänglich mit Widerwillen durch Gewalt übermannet wird, aber sodann unter der unüberwindlichen (?) Gewalt der thierischen Reitzungen nachgiebet und dieselben bis zur venerischen Hitze gedeihen läſst.*

Sed ex definitione nostra, supra data, jamiam satis apparet, tale stuprum, quod Excell. SCHWABE non stricte dictum appellat, non esse violentum, utpote quod sine *omni voluntate* ac permissione feminae consummari debet.

SECTIO II.

De stupri violenti impossibilitate et possibilitate.

§. 4.

Quaestionis dijudicatio: num stuprum violentum sit possibile, an non? solum a sequentibus pendet momentis:

f) Anweisung zu den Pflichten und Geschäften eines Stadt- und Landphysicus Th. II. S. 236.

Landesbibliothek Oldenburg

I. Num foemina, quae violenter ſe eſſe ſtupratam dicit, fuerit adulta nubilisque, an non, ergo puella, innubilis?

II. Si ſtuprata ſit puber nubilisque, num actu ſtuprationis et corporis et animi virium ſit gaviſa uſu plane libero, an non?

§. 5.

Quibus aut negatis aut affirmatis, aut neganda aut affirmanda quoque eſt ſtupri violenti poſſibilitas, et fluunt ex his ſequentes propoſitiones:

A. ſtuprum violentum ſtricte ſic dictum eſt *impoſſibile* in femina adulta nubilique, non nimis tenera ac imbecilli, nec morbis adfecta, ab uno modo mare tentata; (id quod praecipue hac in diſputatione eſt demonſtrandum); eſt ſub hac conditione *poſſibile*, nimirum, ſi foemina impuber, adulta, ſed tenera ac imbecillis morbisve adfecta eſt; multo vero magis *poſſibile* in eadem a pluribus maribus tentata.

B. Stuprum violentum late ſic dictum omnino eſt *poſſibile*.

Haec vero propoſitiones ſunt magis enucleandae, argumentis probandae et firmandae et exemplis illuſtrandae.

§. 6.

Stuprum violentum ſtricte ſic dictum ſub paulo ante dictis conditionibus eſſe impoſſibile, ſequentibus probabimus argumentis.

Fac,

Landesbibliothek Oldenburg

Fac, feminam esse revera jamjam a viro prostratam, nullo modo vero eam permittere velle coitum, tunc illa

a) virum manuum ac pedum motu reprimere horumque ac ipsius oris usu, morsu, radendo unguibus, plagis, percussionibus idque genus aliis violentis modis repellere potest,

b) per varios corporis situs penis in vaginam immissionem impossibilem reddere potest. Tales situs sunt in latera, in pectus et abdomen.

c) per contentionem crurum stupri consummationem impedire, et

d) clunes, totamque pelvin muliebrem, cum partibus genitalibus, ibi adhaerentibus, variis modis ita potest motare, ut ab uno mare figi et firmari non possint, quod requiritur ad penis in vaginam immissionem. Denique

e) per clamorem vehementem editum stupratorem turbare et a stupro proposito potest deterrere et cohibere.

§. 7.

Ex quibus patet, feminam, dummodo constans ei manet in stuprum non consentiendi propositum, satis viro posse resistere, quam quoque multiplicem feminae resistentiam stuprator, etsi rarissimis corporis viribus sit praeditus, non possit vincere. Nam

1) ut ex physicis est cognitum principiis, minor est sufficiens resistentia ad impediendum corporis motum,

quod

Landesbibliothek Oldenburg

quod contra pondus movetur; dum vero vir membrum ſuum in vaginam vult immittere, ſemper ſuum corpus contra pondus movere debet, foemina ergo hunc corporis motum paucis impedire poteſt viribus Confer. Excell. FASELIVS *g*) et SCHWABE *h*).

2) Vir ſanus non poteſt vires ſuas, quas ad varias actiones perficiendas diſperſas adhibet, ſimul ad certam quandam actionem perficiendam conjungere et conjunctas adhibere, quam ob rem foeminam talem, qualem deſcripſimus, ſub iſtis ante memoratis rebus circumſtantibus, vi ſtupraturus vires ſuas intendere debet ad iſtas reſiſtentias, quas foemina ipſi opponit, ſuperandas, iſtasque vires non poteſt ſimul adhibere ad coitum perficiendum, et, ſi vel maxime omni opera id conatur, vires ei deficient penisque collabetur et tunc nullus perfici poteſt coitus completus; et fingamus caſum, incredibilem vero, virum quendam poſſe, ſine collapſione penis, figere et immobilem reddere foeminam, ut non poſſit reſiſtere; attamen ille

3) penem in vulvam vaginamque immittere, et ſic propoſitum ſuum ſine adjutore exſequi non poterit.

§. 8.

Sufficere quidem credo, omnibus non ſine ratione dubitantibus hanc, de ſtupri violenti, ab uno mare cum foemi-

g) l. c. §. 210.
h) l. c. *Bd. II.* pag. 235.

foemina adulta, virium libero usu non destituta, commissi, impossibilitate, allatam probationem, sed placet nonnullos, tam veteres quam recentiores celeberrimos Medicinae legalis scriptores, AMMANNVM *i*) VALENTINI *k*), FASELIVM *l*) SCHVRIGIVM *m*), TEICHMEYER *n*), SCHWABE *o*), SIKORA *p*) et BERENDS *q*) mecum consententientes et testes veritatis meae sententiae in medium proferre.

§. 9.

Inter omnes vero ANDREAS OTTOMARVS GOELICKE *r*) nostrae addictus est sententiae, simul vero dubium suum de hoc stupro ita profert:

Quo-

i) Medic. critic. p. 612. ubi Facultas Lipsiensis medica in Responso ad casum 100 his utitur verbis: Si circumstantias, quae in actu coeundi concurrunt, consideramus, non credibile vel possibile videtur, quod unus masculus nubilem virginem (excipe impubem, teneram, delicatam, aut simul ebriam puellam) absque illius consensu, permissione atque voluntate violare, aut violento modo stuprare possit, nam feminae cuilibet facilius est, si velit, penis immissionem recusare, vel multis aliis modis impedire, quam viro, eidem invitae plane intrudere.

k) Pandect. med. legal. P. I. Sect. I. cas. 20.

l) l. c. §. 218.

m) Gynaecologia historico med. Sect. II. c. 5. §. 11.

n) Institutiones medic. leg. cap. 18. p. 28.

o) l. c. *Bd. II.* p. 233.

p) Conspect. med. leg. P. III. cap. IX. §. 11.

q) *In Pyls Aufsätzen und Beobachtungen aus der gerichtlichen Arzneiwissenschaft. Bd. VIII. Abschn. II.* Obs. 8.

r) Medic. forens. Specim. in praefatione.

Landesbibliothek Oldenburg

Quotiescunque ICtos de ſtupro violento ſermocinantes audivi, toties fabulam ab ipſis enarrari, mecum cogitavi. In ea proh! dolor tempora incidimus, quibus foedae carnis voluptati ea impudentia litare ſolent homines, ut tantum abſit, foemellas ullam juſtam, de vi pudicitiae ſuae illata, cauſam conquerendi praetendere poſſe, ut potius maſculi, qui nuper demum pubertatis annos attigerant, tam a clandeſtinis illarum illecebris, quam aperta vi, vix amplius immunes praeſtare ſeſe poſſint, — — — ut parum abfuerit, quin ſtuprum violentum jam ab aliquo usque tempore, chimaeris et non entibus adnumeraverim, niſi tam ipſius Conſtitutionis Criminalis Carolinae, quae raptoris inſtar ejusmodi ſtupratorem violentum puniendum eſſe praecepit, quam multorum quoque aliorum criminalium ſcriptorum autoritas ſcrupulum quendam mihi injeciſſet. Vicit vero iſtam qualemcunque animi fluctuationem maturior hujus totius negotii penſitatio, quae tandem omnem violentiam, quam puellae defloratae praetexere ſolent, non modo fictam atque ſimulatam, ſed cum naturalibus circumſtantiis, quae ad violentam talem et coactam deflorationem requiruntur, irreconciliabilem eſſe mihi perſuaſit.

§. 10.

Et alio loco s) idem autor ait:

Eſto, feminam adultam, nubilem, puberem virique potentem ac ſanam in terram a viro robuſto violenter

s) l. c. Sect. I. Spec. 7. pag. 715. ſeq.

Landesbibliothek Oldenburg

ter prosterni; esto, omnem operam impendere eundem, ut invitae, nolenti manibusque ac pedibus renitenti membrum virile in vaginam intrudat, sicque stuprum violentum tali feminae inferat; certus sum, attentari quidem, nunquam vero perfici vel consummari illud posse, dummodo constans foemina animo alat propositum, omnibus viribus resistendi, nec in turpe factum unquam consentiendi. En tibi, qui stuprum violentum naturaliter possibile esse contendis, gladium evaginatum, eumque in vaginam, quam manibus meis teneo, immitte. Sponsionem tecum facere ausim, nunquam te illud, me invito et nolente, effecturum. Eodem modo puella clunes motitando, retrahendo, multisque aliis modis immissionem membri virilis in vaginam uteri constanter eludere poterit, nisi clitoridis frictione indeque orta venerea voluptate allecta voluntati stupratoris tandem totam se tradat; quo ipso tamen, voluntate et consensu foeminae accedente, ejusmodi stuprum statim violentum esse desinet.

§. 11.

Clarissimus quoque Pyl *t*) ad nostram accedit sententiam, inquiens:

Ich muss aufrichtig gestehen, dass ich überhaupt es für unmöglich halte, dass eine einzige Mannsperson, mit einer erwachsenen, nicht ausserordentlich schwa-

t) lib. cit. *III*, Sect. *II*. Obs. 8.

chen Frauensperson, wider ihren Willen, und ohne Zuthun eines dritten, den Beyschlaf vollziehen könne. Denn gesetzt, dass er ihr den Gebrauch der Hände und Füsse gänzlich verwehrte, so bleibt ihr doch noch immer die Macht zu schreien und den Hintern zu bewegen übrig, wodurch sie sehr leicht immissionem penis in vulvam *verhindern kann, wenn es anders ihr Ernst ist,*

quam sententiam etiam alio proponit loco *u*).

§. 12.

Nec minus I. D. METZGER *x*) mecum consentit, inquiens:

Hingegen ist es nicht als möglich anzunehmen, dass eine erwachsene, gesunde, nur mässig starke Person, von einen auch starken Manne zum Beyschlaf, wider ihren Willen, gezwungen werden könne, so frequent auch die Anklagen über Nothzucht zu seyn pflegen. Ohngeachtet der stärkern Muskelkraft des Mannes, kann er doch das minder starke Weib zu dieser Handlung nicht zwingen.

§. 13.

Denique Praenobilissimus Dominus Doctor KIRCHEISEN *y*) affirmat:

In

u) l. c. Vol. *V*. Sect. *II*. Obs. 1.

x) l. c. §. 453.

y) In dissertatione sua Praeside Perillustri GRUNER habita de coitu ejusq. variis formis, quatenus medicorum sunt p. 18.

Landesbibliothek Oldenburg

In puella impubere ac tenera, nec non in femina infirma vel pluribus tentata fieri potest, (ſtuprum violentum), in adulta vero, mente ſana, forti et conſtanti minime, quatenus hoc etiam ad rem requiritur, ut penis intromittatur, ſemenque immittatur. Hoc enim opus, hic labor eſt, et ſi forte iſthoc crimen ad judicem defertur, foemina mehercle voluit, admiſit, quievit, patienter tulit et accuſavit ſtuprator em poſtliminio, quia hanc corporis proſtitutionem non ſine lucello eſſe voluit.

§. 14.

Haec vero, addito ex Simone z) exemplo, quod foeminam interdum violentiam illam dure vindicare poſſe, demonſtrat, hac de re ſufficiant. Ille enim narrat, ancillam quandam juveni, ſtuprum per vim inferre conanti, genitalia abripuiſſe cultro.

§. 15.

Stupri violenti impuberi illati poſſibilitas, pro ejus annorum numero, corporis conſtitutione et virium qualitate, quibus vel vir invadere, vel foemina poterat reſiſtere, aut affirmanda eſt, aut neganda. Et hoc quidem ſtuprum, quod puellae natu viribusque minimae infertur, ut plane conſummatum, in dubium vocavit ſupra citatus Goelicke a), his argumentis et verbis utens:

 Verum

z) De impotent. conjug. cap. 3. Theſ. 2. p. 74.
a) l. c.

Landesbibliothek Oldenburg

Verum praeterquam quod dubium ſemper maneat, an ejusmodi ſtuprum perfectum et conſummatum fuerit nec ne? an vero intra attentationis terminos tantum ſubſtiterit? cum propter nimiam pudendorum arctitudinem in immatura tali atque impubere puella, membro ſuo ultra pudendorum labia, vix penetrare, multo vero minus ſemen ſuum in interiora uteri ejaculari potuerit ſtuprator.

§. 16.

Non quidem negari poteſt, plurima exempla, de vi quinquennibus, ſeptennibus etc. puellis illata, ab autoribus relata fuiſſe talia, ubi ex partium genitalium inſpectione apparuit, penem non ultra vulvae labia penetraſſe, qualia ſunt exempla Pylii *b*), Fischardi *c*) et Plateri *d*). Sed tamen omnino quoque eſt concedendum, conſummationem coitus plenam in puellis laxi ac flaccidi habitus eſſe poſſibilem. Interdum quoque ſecando, incidendo dilacerandoque, modo inhumano, talem conſummationem coitus poſſibilem reddiderunt ſtupratores. Ejusmodi exemplum recenſet Simon *e*) ex Hohndorfii *f*) libro ſumtum, quod ob atrocitatem et foeditatem memoratu eſt dignum. Ita vero narratur:

Anno

b) l. c. *Bd* IV. *Abſchn.* II. obſ. 3.
c) Conſil. Tom. I. conſ. 64.
d) Obſerv. med. L. 3. p. 599 ſeq.
e) l. c. cap. 2. Theſ. 4.
f) Theatr. hiſtoric.

Landesbibliothek Oldenburg

Anno quadrageſimo ſupra ſesqui milleſimum, homo nefarius in pago FRAVENSTEIN, qui eſt ſub imperio Epiſcopi Moguntini, cum Dominica Vocem Jucunditatis ingens turba a meridie ſub tilia conveniret, puellam, quae quintum annum nondum compleverat, verborum blanditiis, usque in ſtabulum templo vicinum ſeducit, et, quod dictu horrendum eſt, per vim ſtuprare conatur. Cum autem libidini ſuae in tenerrima puella ſatisfacere non poſſet, ei jugulum ſtricto cultro incidit; praeterea quinque mortiferis ictibus corpus violat. Exhauſtum deinde ſanguine corpus dispandit, pudendaque cultro disſecta dilatat, eoque modo inhumanam prorſus et diabolicam libidinem cum exanimato mixtus corpore adimplet; deinde, gladio ſtricto, in quindecim fruſtra membratim corpus diſſecat, ut nullum membrum integrum agnoſci poſſet. etc.

Aliud quoque huic ſimile exemplum refert KLEIN g) ex temporibus recentioribus.

§. 17.

Stupri violenti, quo adulta, nimis vero tenera, imbecillis aut morbo adfecta vitiatur, non eſt intellectu difficilis poſſibilitas. Ob nimiam enim teneritatem, imbecillitatem morbumque, aut partim, aut plane ſtupratori reſiſtere nequit. Sed hic quoque imbecillitatis gradus eſt reſpiciendus, hic morbi natura probe perpendenda.

§. 18.

g) *Annalen* X. S. 176.

Landesbibliothek Oldenburg

§. 18.

Nullum denique eſt dubium, quin coitus cum adulta ac robuſta foemina, pluribus vero tentata, poſſit conſummari. Nam pluribus viris uno tempore reſiſtere non poteſt, quia reſiſtentia, ab uno mare non victa, ſuperanda traditur aliis, quo fit, ut tunc demum ad coitum conſumandum nihil amplius obſtet.

§. 19.

Quod ad ſtuprum violentum late ſic dictum attinet, pro poſſibili haberi debere ſupra diximus. Ex §. 2. enim patet, quod iſtos comprehendat caſus, quibus foeminae nec corporis nec animi virium libero uſu gaudent. Foeminam virium corporis uſu libero deſtitutam violentiis, ſtupratoris modis ſupra memoratis, reſiſtere non poſſe, ſi vel maxime vellet, et ſtuprum non prohibere poſſe, per ſe patet, et foeminam uſu virium animi privatam, ut ebriam vel narcoticis obſtupefactam et interdum, etſi rariſſime, alto, naturali vero ſomno ſepultam, rerum conſcientia ſenſuque deſtitutam, iisdem violentiis ſtupratoris reniti et ſtuprum impedire non poſſe, quisque facile intelliget. Dubitari quidem poſſet, num plane perfecta coitus conſummatio poſſet committi ſine foeminae alte dormientis conſcientia ſenſuque, ſed omne dubium evaneſcet, ſi conſideretur, ejusmodi foeminam nervorum vehementi irritatione et ſomno excitari debere et evigilare, et tunc, quod non committere vult, ſtupro reſiſtere poſſe.

Landesbibliothek Oldenburg

§. 20.

Reperiuntur quidem contraria in ZACCHIAE, *h*) VALENTINI *i*), ZITTMANNI *k*), CAESALPINI *l*) aliorumque operibus, ſed non ſunt omni exceptione majora et nullam merentur fidem. Eodem vero tempore, quo Lipſienſis Facultas medica *m*) ſibi perſuadebat, coitum poſſe conſummari ac impraegnationem exinde oriri ſine inmiſſione penis in vulvam, ſine foeminae dormientis ſenſu, hodiernis facilius, tale ſtuprum ad excuſandam proſtitutionem eſſe fictum, eſt creditum. ZITTMANNVS *n*) quasdam foeminas refert, quas in ſomno ſine rei conſcientia fuiſſe ſtupratas perhibitum eſt, tandem faſſas eſſe, ſe nocte quadam anxium habuiſſe inſomnium, ex quo poſtea evigilantes in ſinu humorem quendam deprehendiſſent, nihil vero exinde mali metuiſſe. Quis vero neſcit, quid de ejusmodi anxiis inſomniis ſit judicandum? —

SECTIO

h) Quaeſt. med. legal. lib. 2. Tit. 1. qu. 12. n. 14. 15.

i) Novellar. med. legal. Caſ. 1. pag. 30.

k) l. c. Cent. VI. caſ. 77.

l) art. med. lib. 5. c. 12. conf. Act. erudit. anno 1701. p. 228.

m) vid. Zittmann libr. c. l. c.

n) l. c. Cent. V. caſ. 21.

Landesbibliothek Oldenburg

Sectio. III.

De signis, ex quibus stupri violenti attentatio ejusque consummatio sit cognoscenda et de effectibus talia sequentibus delicta.

§. 21.

Signa attentationis et consummationis stupri violenti ex violati corporis inspectione effectibusque inde ortis sola sunt desumenda. Cetera, quae afferuntur signa, è sanguinis, per venae sectionem emissi, mutatione, ex urina et colli crassitudine, ex experimentis cum lapide Gagate, ex apibus in stupratam acriter invehentibus, etc. sumta, tanquam inania, absurda et vetularum superstitiosa sunt rejicienda.

§. 22.

Signa vero ex totius corporis, praesertim partium genitalium externa inspectione petita stupri violenti tam attentationi quam consummationi sunt communia, et illa modo signa de hujus consummatione nos certiores facere queunt, quae ab ipsa penis in vaginam uteri pendent immissione et quae igitur in interioribus partibus sunt eruenda.

§. 23.

In universum vero omnia fere sunt ejusmodi, ut veritatem stupri, violenter commissi, firmissime non testentur, nisi fortasse in puellis impuberibusque. Possunt enim quoque in iis reperiri, et omnino reperiuntur, adultis, quae

ad

Landesbibliothek Oldenburg

ad coitus consummationem omnino consenserunt, quarum pero pudenda ad compressoris partes genitales relata nimis fuerunt arcta, vel quibus ob nimiam compressoris cupidinem veneris, non omni, quo par est, modo, est parcitum. Signa igitur stupri violenti cum laesae virginitatis signis coincidunt, nisi illorum vehementior gradus, e. g. excoriatio, inflammatio, contusio, dilaceratio, diruptio, cum signis, de vi aliis corporis partibus illata, testantibus, e. g. cum crurum aliorumve membrorum sugillationibus collatus interdum appareat.

§. 24.

Ceterum corporis inspectio ab artis peritis est instituenda, muliebria, quoad partes singulas, in loco lucido oculis lustranda et interiorum status modesta digitorum applicatione investigandus.

§. 25.

Omnia vero signa huc pertinentia copiose recenset Ammannus *o*) ita:

Mox observatur in genere,

1) quod partibus virginis genitalibus, aliquando etiam reliquo corpori, vis fuerit illata, deinde
2) dum adhuc muliebria sanguine madida sunt, aut
3) praeter solitum rubicunda, aut
4) penitus inflammata;

 5) con-

o) libr. cit. cap. 3. §. 15. p. 72.

Landesbibliothek Oldenburg

5) conqueruntur etiam virgines de illarum partium dolore et ardore,

6) aut comparent illae partes plane dilaceratae,

7) aut patulae et valde dilatatae,

8) aut praeter consuetudinem humidae;

9) facies stupratae circa oculos nares et oris labia admodum mutata et livida observantur,

10) vaginae uteri labia sunt inflata,

11) interiora uteri aliquando sunt laesa:

12) ejusmodi foeminae non bene incedere possunt et de perpetuo dolore, praecipue in locis pudicis, conqueruntur.

13) si crura distrahuntur, dolores exacerbantur, quae singula signa tanto certius observantur, quo juniores et teneriores sunt foeminae, et quo robustior est stuprator. Quare in hisce signis sollicite aetas et corporis habitus observari debet.

14) adest aliquando inflatio regionis pectinis, perinaei et ani;

15) aliquando molesti tenesmi accedunt,

16) aut conatus dolorifici ad mingendum, quando una ostium urethrae violatum est:

17) quandoque accedunt spasmi semicolici, aut

18) irregulares motus quoad alvi depositionem:

19) quandoque tubercula in perinaeo et ano livida et rubicunda conspiciuntur: denique

20)

Landesbibliothek Oldenburg

20) nonnunquam partium ſuspecta excoriatio annotatur.

Quorum ſi plurima adſint ſignorum, omnino attentationem certe ſtupri violenti probant, ſed modo recenter commiſſam. Si vero et attentatio et conſummatio ſtupri jam aliquamdiu fuerit peracta, omnia haec ſigna magis admodum ſunt dubia ac ambigua.

Sanguinis profluvium, tanquam ſtupri violenti ſignum conſideratum, jure ridiculum redditur a celeb. GOELICKE *p*).

§. 26.

Praeter hosce vero ab AMMANNO enarratos effectus morbosque non raro alii chronici, e. g. aſcites, tabes, praecipue in puellis, tale delictum ſequuntur. Nec minus omnes exinde poſſunt proficisci morbi, qui a nimia irritatione ac virium contentione, et a vehementi animi perturbatione naſcuntur. ALBERTI *q*) ſexaginta annos natae anus facit mentionem, cui ſenex ſexageſimum ſecundum agens annum ſtuprum vi inferre eſt conatus. Anus fortiter ſeni ſe oppoſuit, qui coitum conſummare haud potuerit, nimia vero reſiſtentiae intentione peripneumonia correpta fuit, mortemque obiit.

p) l. c. Spec. 7. §. 7. p. 124.

q) l. c. Tom. IV. caſ. 15.

Landesbibliothek Oldenburg

Sectio IV.

De impraegnationis ex ſtupro violento ſequentis impoſſibilitate.

§. 27.

In deducenda ex ſtupro violento ortae impraegnationis impoſſibilitate diviſionem ſcepius memoratam ſequemur. Illius ductu, ſi primum ſtuprum violentum ſtricte ſic dictum conſideramus, duo modo reperiuntur caſus, in quibus, impraegnationem inde originem trahere poſſe, aliquis putare poſſet, illi ſcilicet, ubi foemina adulta, aut a pluribus maribus tentata invaditur, aut nimia imbecillitate morbove laborat, quo fit, ut viro non poſſit reſiſtere. Ceteri enim, qui hoc ſub ſtupro comprehenduntur caſus ſunt aut ejusmodi, quorum et ipſa poſſibilitas, quoad coitus conſummationem, jamjam jure eſt negata, (qualia ſunt ſtupra violenta ab uno mare ſuſcepta,) et tunc de iis hic non amplius eſt differendum, quia ſine coitus conſummatione, id eſt, ſine penis in vaginam immiſſione, ſeminisque intus ejaculatione, teſtibus omnibus fere Phyſiologis *r*), nulla unquam eveniet impraegnatio; veterum enim theoria, de aura ſeminali, jam dudum eſt refutata *s*); aut ita comparati, ut illorum poſſibilitas, quod ad coitus conſummationem attinet, interdum quidem concedi poſſit, ubi vero conceptio ne cogitari quidem poteſt. Talia ſunt ſtupra impuberi illata. Exempla enim de puellis, quae novem

r) Exempl. gr. Haller. Element. Phyſiol. corp. hum. Tom. VIII. L. 29. Sect. *I.* Barbatt. form. fet. p. 39.

s) vid. Bonnet medic. ſeptentr. *II.* p. 241. et Haller. l. c.

Landesbibliothek Oldenburg

vem annum agentes gravidae ſunt redditae, quae BRENDEL *t*) et HALLER filius *u*) narrant, huc non ſpectant. Eſt enim pubertas non pro annorum numero, ſed pro partium conſtitutione et conditione conſtituenda.

§. 28.

Duo deinde quoque exſtant caſus ad ſtuprum violentum late ſic dictum pertinentes, de quibus eſt probandum, nullam illos ſequi poſſe impraegnationem, ſtupra nempe, vel alto, naturali vero, ſomno ſepultae, vel valde ebriae ſive aliis nercoticis obſtupefactae foeminae, illata.

Priusquam vero ipſam incipiamus demonſtrationem, ut nonnulla de iis, quae ad conceptionem requiruntur, in genere afferamus, eſt neceſſe.

§. 29.

Si qua foemina concipere per coitum quendam debet, tunc illa praeſertim irritabilitate et ſenſibilitate ſatis inſtructa, ad irritamenta ſenſus afficientia et intellectualia capienda ſatis apta, adeoque imaginandi vi voluptariis imaginibus et repleta et ſatis exaltata praedita eſſe debet. Hinc niſus naſcitur concumbendi, hinc veneris cupido, et coitu ipſo, frictione membri virilis in vagina, aeſtus venereus, ſine quo nullus unquam foecundus fieri poteſt coitus. Haec vero requiſita neceſſaria eſſe ad conceptionem, meretrices ſatis teſtantur. Miſſerae illae enim foeminae

t) Praelectiones in Teichmeyer. med. forenſ. p. 76.

u) *In Blumenbachs medicin. Bibliothek B. I. S. folgg.* 558.

Landesbibliothek Oldenburg

minae, quae, pro lucello cuilibet vendibiles, corpus voluptatibus offerunt, non concipiunt, quia immoderato coitus usu nervi quasi hebetati, irritabilitas et sensibilitas earum valde est imminuta, illarum phantasia consuetis imaginibus lubricis non amplius exaltatur, congressum sine ullo delectationis sensu patiuntur, et nullus itaque potest oriri aestus venereus. Olim creditum est, rugas in vagina ad augendam modo voluptatem in coitu foeminis esse datas, hinc ob earum defectum duae foeminae in historia morborum Vratislaviensium anno 1702 *x*) steriles sunt declaratae, quia nempe voluptates coitus non sentire potuissent. Sic quoque experientia nos docet, foeminas invitas coitum patientes non impraegnari, nisi amatorum imagine earum sit exaltata phantasia, quod quoque testatur CASPAR A REIES *y*).

§. 30.

Illa vero veneris cupido, hic aestus venereus irritatione ac intumescentia partium genitalium vaginae uteri, ovariorum, uteri ipsius, ovariorum ac praesertim clitoridis efficitur *z*). Nam BUDDAEUS *a*), VENETTE *b*), BONNET *c*), DE BLEGNY *d*), in dissectis foeminarum cadaveribus,

x) p. 210.

y) Camp. elys. quaest. 42. §. 6.

z) vid. Halleri Element. phys. l. c.

a) Miscell. Berolin. II. obs. 2.

b) de la generation de l'homme p. 208.

c) l. c. I. pag. 216.

d) in diario ann. 1679.

Landesbibliothek Oldenburg

ribus, quae furore uterino laborantes mortuae erant, ovaria praegrandia, et idem BONNET *e*) MICHAELIS apud SCHVRIGIVM *f*), DRELINCOVRT *g*) ova ipsa maxima in ejusmodi cadaveribus fuisse scribunt. In hysteromania uterum albo liquore repletum reperit ARNAVD *h*). Per irritamenta enim et sensus afficientia et intellectualia ad illas partes magna sanguinis massa derivatur. Inde nascitur illarum partium intumescentia fervorque. Tunc in coitu ipso, frictione penis continuata, aestus venereus ad gradum pervenit supremum, magna sanguinis massa ad genitalia tendit, clitoridem et nymphas turgidas reddit, ac aperitur orificium uteri, cum sub ferventiori coitu vagina se peni, etiam justo breviori, *i*) se approximet eumque arctius circumdet, convulsive se contrahens, ab hac constrictione sequitur orificii uteri laxitas et apertura, et semen, cui sic via parata est ad introeundum, in uterum ipsum injicitur ibique novi hominis germen ad vitam excitat.

§. 31.

Sunt quidem, qui negant, semen virile in uterum penetrare, inter quos praecipue recentioribus temporibus eminet GRASMEYER *k*). Ejus vero argumenta, non satis fir-

e) l. c.
f) Muliebr. p. 336.
g) de femin. ov. p. 519.
h) Discas. of ureth. p. 92.
i) Vid. Christ. Fürchtegott Schmalz Dissertat. sist. examen nuperae theoriae de absorptione seminis vagin. Jenae 1792. p. 19.
k) Commentat. de concept. et foecundat. hum. Goetting. 1789.

Landesbibliothek Oldenburg

firmata, bene refutavit Praenobilissimus D. D. Christ. Fürchtegott Schmalz *l*). Et omnino, ut L. B. de Haller utar verbis, Ruyschium *m*), qui semen in utero foeminae statim post concubitum interfectae vidit, et alios semen non a muco distinxisse, dura est suspicio. Ipse quoque de Haller se in ovis 45 horae minutis ab ultima venere occisae bestiae utero semen vidisse, affirmat *n*).

§. 32.

His praemissis ad proposita, unde sumus egressi, redeamus, et quae de conceptione sunt dicta ad impraegnationem, quam stuprum violentum sequi volunt, adhibeamus.

Si foemina aliqua sana a pluribus maribus, aut nimis tenera morbisve adfecta, ut primum casus sub stupro stricte sic dicto comprehensos afferam, ab uno mare invaditur, tunc potissimum terrore percutietur, percussa irascetur, irata stupratorem habebit odio. Tres ergo hic oriuntur vehementissimae animi perturbationes, quarum una sufficeret ad concumbendi nisum aestumque venereum, quem adesse quoque putes, plane repellendum. Quomodo igitur, si tres hae animi perturbationes coitum comitantur, quomodo, interrogamus, aestus venereus ad illum gradum potest augeri, qui ad producendas illas partium genitalium mutationes, et ad conceptionem requiritur? Quomodo foeminae phantasia potest exaltari lubricis volupta-

l) Diss. sist. Exam. nup. theor. de absorpt. sem. vag. Jenae 1792.
m) Thesaur. anat. VI. Ass. I. n. 21.
n) l. c. Tom. VIII. L. 29. S. I. §. 11.

Landesbibliothek Oldenburg

luptatis imaginibus, ſi cum terribilibus illis ſtupri violenti ideis ſit occupata? Et in altero caſu ipſa foeminae imbecillitas morbusve aeſtui venereo et conceptioni erit impedimento.

§. 33.

Et ſi quis objiceret, illas animi perturbationes tolli poſſe penis frictione, voluptatis illecebris, et aeſtum venereum tunc oriri, hoc argumentum libenter concedimus; ſed tunc ſtuprum violentum eſſe deſinit, nam foemina conſentit, coitum non recuſat.

§. 34.

Stuprum quoque, quod foeminae dormienti infertur, non ſequi poteſt conceptio. Nam aut vehementi nervorum irritatione expergiscetur et tunc rurſus reſiſtere poteſt; aut nimis alto ſomno eſt ſepulta, et tali in caſu non illa gaudet irritabilitate et ſenſibilitate, quae ad producendum aeſtum venereum neceſſario requiritur.

§. 35.

Eadem quoque eſt ſtupri, valde ebriae ſive narcoticis obſtupefactae medicamentis, illati ratio. Narcoticis, majori doſi adhibitis, nervorum actio debilitatur, irritabilitas ſenſibilitasque valde imminuitur et hebetatur, nullus ergo aeſtus venereus, nullaque exinde oriri poteſt impraegnatio.

Hac in re nobiscum quoque conſentit Clar. Mayer *in Hallers Vorleſungen über die gerichtliche Arzneykunde,*

die

Landesbibliothek Oldenburg

aus einer nachgelassenen Handschrift übersetzt, Bern 1792 o).

> *Die aufgeworfene Frage, ob eine Jungfrau schlafend geschwängert werden könne, entscheidet er (Mayer) auf folgende Weise: Eine völlig schlafende Jungfrau kann nicht geschwängert werden, wie aus Gründen der Zeugungstheorie erweisslich ist. Eben so wenig, wenn sie eine übermässige* Dosis Opium *bekommen hat, oder so sehr betrunken ist, dass sie sich in Stande der Sinnlosigkeit befindet.*

Haec pro temporis et limitum dissertationis angustia dicta sufficiant atque bene judicent de his justi et aequi rerum arbitri.

o) *B. I. in den Allegaten und Zusätzen zum 4ten Cap. p.* 305.

Landesbibliothek Oldenburg